

Petrus de Vinea

*Ep. V 135 (Romanus honor,
Vrbis gloria et incrementum...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 135 (Romanus honor,
Vrbis gloria et incrementum...)*

1245?

Exprobat Romanis, qui noluerunt acquiescere monitis suis, et ut obediant nuntiis.

1. Romanus honor, Vrbis gloria et incrementum populi Romani adeo Cesareae sollicitudini tenaciter inheserunt, ut ad eorum promotionem frequenter litteras et incessanter legatos etiam mitteremus, per quos et quas nostram sumus conati uos instruere ac docere beneuolentiam et fauorem, ut Romanus princeps auctricem sui nominis et effectus Romam extolleret, et Romanum populum, qui omnem potestatem in suum imperatorem contulit, prae ceteris gentibus exaltaret. 2. Et utinam uestrae generalis et unicae deuotionis affectus proposito et uotis nostris uotius concurrisset, ut uelletis beneuole prosequi nostram beneuolentiam et fauorem, ut obauditores in tantum tantae propositae ingratitude non essetis. 3. Nam et ut in admirationem transeat uniuersis, nedum proximis sed remotis, quod Romani principis monita consilium et promissa conniuentibus oculis pertransistis, et oblata nostri fauoris affectio reddat uos inexcusabiles apud omnes, quod Romani Romanum imperatorem rei publicae auidum incremento audire uel sequi dissimulauerunt ad eorum commodum et profectum. 4. Nolentes igitur circa uos a fauore desistere consueto, ad uos... et... de nostro latere duximus destinandos, qui uos omnes emergentia quaedam pro parte nostra perdoceant, et ut fauorabiles affectus nostros ad uestros publicos honores exponant. 5. Quare mandamus deuotioni uestrae, quatenus ea, quae uobis ex parte nostri culminis dixerint exponenda firmiter credere et effectui prosequente complere non inefficaciter debeatis.